

עמי עמי
FUGA VACUI
M. THOMÆ FORSTMANNI
SUSATO - GUESTPHALI,

31
31
EPISTOLA
APOLOGETICA,

opposita
Opellæ, præterito mense Wittebergæ
editæ,

qua Autor
LL.OO. Chaldaica & Syriacaque notitiam, e multis
Ecclesie Viris exulare,

irrito conatu
docuit.
Grot. in Proleg. LL. de J. B. & P. §. LII.

Scholastici, laudabile præbent Modestie exemplum,
rationibus inter se certantes, non, qui mos nuper
adeo literas inquinare cepit, CONVITIIS,
TURPI FOETU IMPOTENTIS ANIMI.

Stanno Mülleriano. Anno M. DCC.

FUGA VACUI.

Phil. Melanch. in Orat. de Phil. Theol. necess.

Omnino ilias malorum est inerudita *Theologia*. Est enim confusanea doctrina, in qua magnæ res non explicantur dilerte, miscentur ea, quæ oportet se-
jungi, rursus illa, quæ natura conjungi postulat, di-
strahuntur. Postremo tota doctrina monstrosa est
& similis isti picturæ apud *Horatium*:

*Humano capiti cervicem, pictor, equinam,
Jungere si velit & varias inducere plumas.*

Laurent. Fabric. in Pref. ad Gymn. Syr. Crinesii:

Qui regias *HEBRÆÆ* Linguæ Filias; *CHAL-
DÆAM* & *SYRAM* despexerit, cum non digna-
buntur suo commercio, nec ei *Thesauros* suæ scien-
tiæ aperient, sed contemptorem sui, vacuum scien-
tiæ, ignorantia plenum, sine *Scripturæ* sensu dimit-
tent: Sic turpiter ab his reginis *Hermeneuta* rejectus,
ignorantia sua pascitur, & fit variarum opinionum
venator, qui expansis retibus, sententias varias sæpe
falsas aliorum in unum locum cogat, auditori obtru-
dat eumque semper sine vero loci sensu dimittat.



AMICE DILECTE.



T erudito orbi exstaret aliquod E-
 ruditionis Tuæ exemplum, foetum in
 diebus forte canicularibus, infelici omi-
 ne, concepisti, conceptum ante disces-
 sum Tuum ex Wittebergensi Acade-
 mia peperisti, partumque hic JENÆ alibique loco-
 rum supposuisti, & ut tanto facilius multorum ineru-
 ditorum animis imponeres, *dissertationis nomine eum*
insignire ausus es, commonstrantis: Linguarum Chal-
daicæ Syriacæque notitiam e multis Ecclesiæ Viris exulare,
eoque necessarium baud esse, ut, qui Theologi nomen tueri,
vult, illis linguis imbutus esse debeat. Sed cum id ipsum
 nec a me, contra quem tamen disputas, nec ab ullo
 cordato unquam in dubium vocatum aut negatum
 memini, quin potius, facta prævia distinctione, inter
Theologum vi vocis & etymæ & inter Theologum proprie &
usitate talem in Dissertatione mea morali: De mortuis &
absentibus non nisi bona; hic Jenæ habita, publice pro-
 fessus sim, illum quidem Syriacæ & Chaldaicæ notitia ca-
 rere posse, hunc minime; Primum in animum induxi
 meum, me sine responso rem dimittere, manum
 ab ingloria pugna abstinere & cuncta summo rerum
 Arbitro committere velle; Verum, cum postea tot ca-
 villationibus, mendaciis & calumniis opellam refertam co-

(2) 20
gnoverim, animum mutavi, & ne rudioribus, idem
Tecum sentientibus, vel illis, quorum intellectus ea-
dem malitiæ & ignorantia nebula est obductus, glau-
coma faceres, falsoque persuaderes, ac si, nescio qua
eruditione insolubilibusque argumentis Tua superbiat
opella, id agam, ut eam ab interpretationibus scabris
atque hiulcis liberem, larvam qua fallit & fallitur ei
detraham, & quam procul a veritate absit, ostendam.

Quod si labor hic meus improbus, non adeo ad
palatum fuerit, Tibi metipsum, Tuo ingenio, Tuisque
chartis id imputes.

In *Disputationis Tua prefamine*, quod cum Titulo
& dedicatione totius inutilis laboris, absolvit tertiam
partem (rectene an secus? judicent alii) statim sub
initium innuis *causam*, quæ te movit ut hoc opuscu-
lum publici juris faceres, quam esse perhibes, *Differ-*
tationem Moralem, ante annum fere, a me elaboratam,
& publice sub meo præsidio habitam. *Hanc ais, avi-*
de Te perlegisse & maximam in ea eruditionis farraginem
reperiri frustra tamen ratum. Hæc est *παρασκευη*, qua
glaucomam hominum oculis objicere fucumque fa-
cere intendis; Quæ utrum indignationem & bilem,
an risum mihi moverit, haud facile dixerim. Quic-
quid sit, eo Tua evasit eruditio, & ita vulgarem excessit
modum, ut *dissertationem meam*, celeberrimorum *Phi-*
losophorum autoritate suffultam, ruditatis accuses,
quam tamen si cordatus & vel mediocri judicio præ-
ditus fuisses, non ita temere sigillasses. *Ecce vero, di-*
cis, disparatio & capite & calce destituebatur, adeo ut le-
gentem in principio &c. Profecto mirari subit, Te eo
audaciæ & temeritatis abripi, ut contra propriam con-
scien-

scientiam & manifestam veritatem dicere potueris
Dissertationem meam & capite & calce destitui, nec
 quis illius *Autor*, cujusve sit facultatis, Tibi constare
 potuisse: Cum tamen exemplar illius completum Ti-
 bi a cive Jenensi scriptotenus id petenti, *Wittebergam*
 transmiserim, unde nisi studio hæc ipsa fingere & diffi-
 mulare voluisses, facile & *Autorem* & cætera cogno-
 scere licuisset: Adhæc, si *Dissertatio* mea titulo &
 prodromo omnino caruisset, qui ex Germanicis, quæ
 ibi habentur: von Todten u. De *dissertationis* præfide
 ejusque *Autore* certus fieri potuisses? Eo potius in-
 dubium esse potuit, quod memoratæ *dissertationis* cer-
 tissimus *Autor* fuerim, quod primum *Cathedram* su-
 periores conscenderim. Nugas itaque profers &
 commenta, apud neminem, nisi *Tecum* insanientem
 & cæcutientem fidem inventura.

Quando Tritum illud vocas in dubium, Teque nun-
quam illud a quoquam audisse fingis, multo indoctiorem,
 Te censeo quovis indocto & rudi rustico, in cujus ore
 nihil hoc effato frequentius: Er ist tod: von Todten
 und Abwesenden soll man gutes reden. Quod porro
 scribis? *Quis vero Autor ille sit? Me equidem adhuc latet,*
 (quia oculorum Tuorum iudicio omnem abjudicas fi-
 dem:) *Quantum tamen fluctuanti imo deliranti, conjectura,*
 in re tam evidente remansit, hominem esse juvenem duco,
 artis *Disputatricis* admodum expertem & c. parum reliqua
 rasit integri. Hæc eadem arte, qua superiora a Te
 sed frustra finguntur. Quomodo enim Te latere
 potest, qui *Tecum* in una eademque civitate educatus
 est, qui in omnibus classibus Tibi fuit comes ac socius,
 cuius in Patria ante annum & quod excurrit, publi-

(4)
ce in actu solenni requisita Theologi usitate dicti, me-
moranti, (*moderante tum temporis, nostro Harbostio, Phi-*
losopho Susatensi incomparabili, Patrono jugi honoris ac pie-
tatis cultu devenerando) vacivas aures præbuiti, inde-
que quod Te omnino fugere nequit, controversia ist-
hæc me inter & Te tuosque complices originem tra-
xit.

„Unde vero probabis: *Me artis disputandi admo-*
dum expertem esse? Fortassis inde, *quod ex Tuo obtu-*
so judicio, tot absurditatum scoriis opella mea referta est,
ut ab his purgata parum relictura sit integri.

Sed hæc dicuntur, non probantur. Id quod ta-
men minime boni disputatoris sed Sophistæ & Philo-
sophastri esse judico; Et si, quod decet conterraneum
& civem, candide mecum agere voluisses, æquique &
boni *Censoris*, quam turpissimi *calumniatoris* defungi
maluisses officio, indicandæ Tibi omnino fuissent ali-
quot in gratiam B. L. absurditates, quod cum a Te fa-
ctum haud sit, merito apud æquos Judices suspicionem
incurris, hæc ut & cætera *calumniose* a Te efficta esse.

Pergis accusare periodorum nexum stylique fa-
„miliaritatem, dum scribis: *Periodi materiabus eo sunt*
coaptati nexu, quo contextus ex arena funis, stylo inclusi
nimum familiari. Sed enim, ut alia quæ mihi per im-
pudentissimam stultitiam hætenus tribuisti, ita & hoc
Tibi probandum incumbibat; Alioqui vilissimus
quisque, si aliud ipsi non suppeteret, hac arte alterius
scripta traducere & inconcinnitatis arguere posset. Et
posito, non tamen concessio, non ita ubique Theses
cohærere, stylumque nimis familiarem esse: Quis Te
illarum rerum constituit judicem? *Dissertationem mo-*
ralem,

ralem, non orationem conscribere volui, ac talem ad-
 hibere styllum, qui dissertationibus magis, quam ora-
 tionibus concinnandis convenit. Potiori forsan jure
 hanc notam Tibi inurere possem, si opellam Tuam,
 secundum styli elegantioris leges examinare, omnes-
 que periodos vellem percurrere. Quare mihi vide-
 ris similis illis, qui tamen si oculis sunt capti, vel lippi-
 unt, de pictis tamen tabulis sententiam ferre non eru-
 bescunt. Ne autem sine ratione, ut tuus mos est,
 hæc dixisse videar, unum vel alterum circa *præfamen*
Tuum monebo. In pag. 1. illius legitur fere circa fi-
 nem; *Frustratamen ratus*. Sub initium autem im-
 mediate sequentis § dicitur: *Ecce vero*. Egregia cer-
 te, connexio! Sed hic & in genus alii nævi facile Tibi
 tuæque ruditati condonari possent, nisi in regulas
Grammaticas circa *adjectivum* & *substantivum* adeo
 graviter impegisses; A meis namque præceptoribus in-
 feriorum classium, jam olim didici: Vocem *periodus* ut
 & cætera in *odis* definitiva vocabula generis fœmini-
 ni, non masculini esse; Cur ergo Tu scribis: *Periodi*,
sunt coaptati & *stylo inclusi*? Vitium certe vel puero in-
 dignum & terula castigandum! Regeris forte: Esse
 mendum hoc typographicum haud quaquam Auto-
 ri disputationis attribuendum: Sed cum plus vice,
 simplici occurrat; *periodi coaptati, stylo inclusi*, nec ca-
 lamo in exemplaribus fuerit correctum, judicet æquus
 Lector: Typographo illud, an auctori acceptum fe-
 rendum sit? In p. 3. præfat. inter alia, emphatica phra-
 sis occurrit: *Ut labore hinc suscinenda calammum ad*,
moverem: Quam forte ex epistolis obscurorum viro-
 rum excerpisti. Hæc observata sunt a Me in præfat.
 Unde

Unde licet reliqua, quæ passim in ipsa opella leguntur, reticeam; Lectori tamen de styli Tui inelegantia satis superque constare poterit.

Paris cum præcedente aut forte majoris calumniæ esse videtur, quod statim subjicitur: *Inter disputationes absurdas, meam moralem primas sibi forte vindicantem, dignam esse, ut Auctori, qui vulgo inscribitur, Der Lustredner / inseratur.* Si conjecturis locus est, suspicor valde, Te huic scripto diligentius quam studio Biblico vel aliis studiis seriis incubuisse, indeque non mirandum, si ex continua illius, totque absurditatum in illo contentarum perlustratione & cotidiana inspectione, ipse tanta labe infectus fueris, totque absurditatum monstra hinc inde in dissertatione tua obvia, prodideris, ut nullum dubium sit, quin, si diutius in Academiis commorari licuisset, & lectionem illam continuasses, cum tempore, completum *absurdarum disputationum* volumen editurus, scriptum illud, quod tibi tantopere placet, immane quantum aucturus, ipsisque Typographis haud leve lucrum allaturus fuisses. Ne vero *omnia* sine ratione dixisse videaris, connexionem impugnans, Lectorem ita interrogantem, inducis: *Quo ordine, quave connexion, occasione dicti: De mortuis & absentibus &c. quæstio illa: Num in Theologia, qui ex usu loquendi tales sunt, ad hoc, ut ad omnes adversariorum objectiones sufficienter respondere possint, requiratur LL. OO. exactissima peritia, pertractata fuerit?* Ad quam quæstionem, ironice licet, vere tamen respondisti. Dum enim primo Dissertationis meæ capite juxta leges analyticas evolvenda erant nomina mortuorum & absentium, quæ in Themate proposito locum



cum subjecti occupabant, mortuorum autem vox e numero communium ἀφ' ἐνός ἢ ἑνός ἐν esset, ideo ut eo melius hæc doctrina innotesceret, occasionem natus sum, de natura *Theologi* quædam differendi, demonstrandiq; quod, licet plures sint, qui confidant, se esse *Theologos*, nemo tamen *Theologus* proprie & usitate dictus audiat, nisi exactissimam LL. OO. *Ebraica*, *Chaldaica* *Syriaca*que habeat notitiam. Vides ergo *Lector Ben.* rationem ordinis & connexionis.

“Quando reprehendis, *Antagonista*, me de *Analogis* quædam fideliter exscripsisse ex *Dn. D. Hebenstreit. Instit. Logg. Scias*, aliud esse allegare quædam ex autore aliquo, aliud ex eo quædam fideliter exscribere, quæ Tu turpiter impræsentiarum confundis. Quod vero nomen *Hebenstreitianum* hac vice silentio præterierim, jussu ipsius celeberrimi viri factum est, utpote qui, cum ejus limæ meam dissertationem moralem subjicerem, nomen suum in MSS. meo expunxit, subinnuens, sibi hoc in more esse positum, quotiescunque dissertationis alicujus censor existeret.

Contradictio est, qua oculorum & intellectus Tui eclipsin prodis, quando adjicis, *me in exscribendo, cogitationibus abreptum*: Deinde vero *me non inconsulta, eo dilapsam* garris. Omnino cum judicio definitionem autoritatis exhibui, quia multi autoritate, qua polent, abutuntur, & extra Sphærâ suæ activitatis agunt, quod non fieret, si autoritatis quidditatem sibi redderint perspectam.

Tandem sub finem *præfaminis Tui* motivum adfers, quo inductus fueris ut NB. **LABORE HUIC SUSCINENDÆ** calamum admoveris, quod ais
B fuisse

„fuisse quæstionem, num qui LL. OO. exacta notitia
 „destituti sint, vere audiant Theologi. En Lector Ben.
 causam motricem quæ furentem adversarium in ar-
 ma compulit. Quæ quæstio, uti quidem per sumam
 injuriam mihi tribuit adversarius, a me neq̄ mota, neq̄
 in dubium vocata, multo minus negata fuit. Constan-
 ter enim & ubique dixi, Vere esse Theologum, qui LL. OO.
 peritia destitutus est, si modo aliqua cognitione rerum
 Divinarum polleat, quamvis non sit Theologus proprie &
 ex usu loquendi, talis. Quæ ut oppido distincta, totoq̄ cœ-
 lo diversa sunt; Sic iterū, Cenfor, pro Tua ἀνεβεία hæc
 turpiter confudisti, eoque mihi amandandus es ad
 Scholas Logicas, & ex iis Tibi discendæ sunt regulæ,
 quibus erudiaris, quomodo status controversiæ, ne
 aerem & nebulas discutias, rite formandus sit, ante-
 quam manus conferas cum aliquo. Status autem
 controversiæ non est hic, ut quidem Tu perverse con-
 tendis: Num vere audiant Theologi, qui LL. OO. notitia
 destituti? Sed potius iste: An sint Theologi proprie & ex
 usu loquendi, qui hodierno Tempore apud Eruditos obtinet,
 LL. OO. notitia non imbuti. Cujus Negativam tuitus
 sum & etiamnum tueor, inductus, genuinis Theolo-
 gi usitate dicti requisitis & auctoritate pariter ac suffra-
 giis Summorum Virorum, eandem sententiam pro-
 pugnantium.

Hucusque in examinando Tuo *presamine* tui oc-
 „cupatus, jam ad ipsam quæstionem: Num exactissi-
 „ma LL. Ebraice, Chaldaice Syriacæq̄ notitia ab omnibus,
 „qui Theologi audire satagunt, requiratur? Quam in §. I.
 dicis me affirmare, & quorundam Theologia DD, suffra-
 „giis nixum, inferre: Hoc Habitu oportere instructum es-
 se o-

se omnem, qui Theologus audire amat. Verum, docebit ocularis *Dissertat. mea* inspectio, Te crimen falsi vere committere. Qui enim veritatem immutat seu improbe supprimit in alterius fraudem, criminis falsi arguitur a *Struvio* (a) Cujus tamen poenam, quæ vel fustigatio, vel inustio signi relegationis, vel carceris, vel etiam quandoq; capitalis est. (b) Tibi ex præcipitantia & fervore juvenili eo adacto, libenter remitto.

Ut tamen *B. L.* Cui fortassis *Dissertatio mea* hactenus non est visa, magis de mea constet sententia: Hic brevibus, quæ in *Dissert.* (c) prolixè pertractavi, liceat repetere. Videlicet, *Theologum proprie & ex usu loquendi talem* multum differre a *Theologo vi vocis & etymologi*, demonstravi ex *B. Bajero &c.* Hunc enim dixi, qui notitia pollet rerum Divinarum, qualis, qualis illa sit. Illum vero, cui competunt requisita *Theologi proprie dicti*, ab *Hebenstreiti* recensita (d) inter quæ ordine quartum est: *Ad objectiones adversariorum sufficienter respondere*; Quod cum fieri nequeat ab homine *L. L. O. O.* imperito, exactissimam *L. L. Ebraica, Chaldaica Syriacaque notitiam in Theologo proprie & ex usu loquendi sic dicto*, requiri, docui.

Huic meæ *Thesi*, si vere contradicere satagisses, debuisses demonstrare: Quod in *Theologo proprie & usitate tali*, non requiratur cognitio *L. L. O. O.* Quia sine hac notitia, sufficienter ad *Adversariorum objectiones* respondere queat. Hic est nostræ contentionis genuinus status. Hoc si probatum dederis, mihi vere contradixeris. Sin minus, cæcorum instar pugnas & *Andabatarum*

B 2

more

(a) *Jurispr. Romano-Germ. for. L. III. Th. XXVIII. p. 565.*
 (b) *Jd. l. c.* (c) *Posit. XIV. p. 9.* (d) *Philos. prim. p. m. 41.*

more philosopharis, mihi enim de cæpīs quærenti,
de aliis respondes. Quamobrem cum ne verbu-
lo, Theologorum ex usu loquendi & proprie dictorum me-
ministi, sed Theologorum vi vocis & etymi seu illorum
solum qui vel aliqualem habent notitiam, vel olim
Theologi appellati sunt; Facile apparet, quam infeli-
citer per integram Tuam opellam contra me disputes.
De illis enim, quod LL. OO. notitia instructi esse de-
beant, ego nunquam per somnium cogitavi: Nec ul-
libi in *Dissertat. mea* dixi: Quod exactissima LL. OO. no-
titia requiratur ab omnibus, qui Theologi audire satagunt.
Aut quod perinde est: Hoc habitu instructus esse debet, qui
Theologus audire amat. Hæc itaque dum mihi affingis,
statum controversiæ turpiter immutas & contra dis-
putandi artem impingis. (e)

Posthæc sub schemate *dissertationis publicæ* in §. II.
virulentas in me evomis injurias, dicendo: Gerbar-
dum, Pfeifferum, Scherzerum, mihi non tam evolutos
quam ex allegatis citatos esse. Sed recordor heic illius
Grotii: Infirmiatis est, ad mendacia confugere. (f) Non
est quidem dubium Bibliothecam meam in Academia esse
valde portatilem: Quod idem de Tua crediderim:
Potuisses tamen his laboribus supersedere, quibus per
tres integras paginas, mea allegata, valde corrupta
mutila & truncata repetis. Sed inane Tuum chaos e-
rat ampliandum! Quando addis: Te bona fide ea ad-
dere: Aut certe Te latet, quid sit bona fides? Aut hæc
vocula suspectæ Tuæ causæ opem ferre anniteris. E-
nim vero, evolvat B. L. si vacat, Auctores, & videat, uter
nostrum

[e] Pruckn. arif. disput. P. R. Tr. I. c. 3. r. I. p. m. 30
[f] Lib. III. de Jur. B. & P. c. I. §. XV. no. 10

nostrum rectius allegata citet? Allegavi in *Dissert. mea* (g) *B. Scherzer, Syst. Theol. Proleg. § 11X. p. 3.* Tu autem bona fide allegas pag. 8. cum tamen ultra 4. paginas non excrescant prolegomena. Allegavi *Mayfarti Prodr. Elucid.* (Elucidarii) Tu bona fide citas (h) *Mayfart. prodr. Euclid.* (in Eucliden forte contextus est hic liber?) Tu bona fide verba Hildebrandi ita citas: *Neque non Mechanicos mulieres.* Ego vero verba ex Autore attuli: *Neque enim mechanicos, mulieres, porro* (i) *integra vox, bona fide oculorum Tuorum aciei sese subduxit, dum legis: Eorumque ac objectiones.* Mea citata verius ita habent: *Eorumque stropbas ac objectiones.* Videtur ergo: Te, bona fide, ex turbidis rivis & inopibus cisternis, vix summis degustasse labiis, quæ ego quidem ex limpidis fontibus pleno ore hausi.

In §. *Tuo IV. Negativa* subscribis ad *questionem* supra propositam, cujus quidem *affirmativam* defendendam ego nunquam in me suscepi. Et stupidus es, dum scribis: *Me quatuor illis requisitis a Baiero & Hebenstreitio recensitis, addere quintum: To habere exactissimam LL. OO. notitiam.* Nam omnino sufficiunt, quatuor illa ab *Hebenstreitio* requisita, ut, qui iisdem pollet, *vere, proprie, stricte, nat. ἐξοχῆν* & ex usu loquendæ *Theologus* denominetur. Verum, quod requisitum ordine quartum, *exactissimam LL. OO. notitiam* supponat, & nemo ad objectiones adversariorum sufficienter respondere queat, nisi hac *LL. OO. Hebraica, Chaldaica & Syriaca cognitione* imbutus, sequenti demonstratio ratiocinio.

B 3

(g) *Posit. XIV. p. 9.* [h] in §. 3. lin. 9.

[i] lin. 28. §. Tui 3.

*Si multa in S. literis continentur, explicanda, confirman-
da defendenda, quæ supponunt LL. OO. Ebraicæ,
Chaldaicæ & Syriacæ notitiam; Seqq. neminem
Ebraicæ, Chaldaicæ Syriacæque LL. cognitione de-
stitutum, ad Adversariorum objectiones sufficienter
respondere posse. Sed verum est prius. Ergo.*

*Consequentiam nemo negat, cum sit ex terminis clara,
& is solum in foro Theologico ad objectiones ad-
versariorum sufficienter respondeat, qui S. lite-
ras & res Divinas in iis contentas explicare,
confirmare & defendere novit.*

*Prius facile probo. Nam (α) quod si cum Adver-
sariis eruditis in arenam conscendendum, non
ex versionibus, sed fontibus argumenta peten-
da sunt. Versiones quippe aut erroribus reve-
ra sunt obnoxia (Ita in sola Vulgata Franciscus
Lucas Brugensis observat 4376. erratorum (k))
aut cum Textu authentico congruunt, hac ta-
men ratione, ut respectu certitudinis aut ve-
ritatis a Textu primigenio dependeant, adeo-
que *autoritatem* non habeant, nisi postquam
earum convenientia cum Textu authentico,
investigata & cognita sit (l) [β] His præmis-
sis, omnino i. ad explicandam, confirman-
dam & defendendam Scripturam Sacram.,
supponitur cognitio Linguae Hebraeæ. Nam
totum V. T. non solum hoc idiomate primitus
conscriptum est, paucis exceptis: Sed & in
N. T.*

[k] Scherz. Syst. Th. L. 1. de Scr. S. p. 15. [l] vid. B. Mu-
sæ. Tract de Synchr. & SS. p. 540. Bai. Comp. Proleg. c. 2.
p. 122. n. c.

N. T. plures occurrunt hebraismi. Quemadmodum igitur nemo *Medicinam* sine Græca; *Jurisprudentiam* sine Romana Lingua feliciter & cum insigni emolumento tractabit: Sic nemo *Theologiam* Ebræa Lingua destitutus. Inde moti PP. Concilii Viennensis sub Clemente V. Pontif. indicti, prudentissime inter alia decernebant, *Hebraicæ* Linguae studium in præcipuis Orbis Academiis, *propaganda fidei* ergo, instituendum esse (m) 2. Scripturæ explicationem, confirmationem & defensionem prærequirere notitiam Linguae *Chaldaicæ*, facile liquet. Quis enim *explicare*, ne dicam *confirmare* & *defendere* valebit Jer. X. II. Dan. II. 4. seqq. usque ad cap. II. X. & Esdram c. IV. 8. seqq. usque ad cap. VI. a cap. VII. v. II. seqq. ad 27. Nisi polleat notitia linguae *Chaldaicæ*? Eleganter alias hujus Linguae studium commendat Ludov. de Dieu (n) scribendo; Dic *ἄλφα, βῆτα, γίμμο, δέλτα*, jam *Chaldaicæ* loqueris, *ingratus, ingrattissimus, si reliqua illius linguae addiscere non digneris.* 3. Quod multa occurrant in S. Literis explicanda, confirmanda & defendenda ex Lingua *Syriaca*, probat *Christ. Crines.* (o) ita differens: *Syriacæ* Linguae vestigium quoq; in V. T. Gen. XXXI. 47. *Spiritus S. extare* voluit, ubi *tumulus testimonii propter fœdus*, quod inter *Labanum Syrum* & *Jacobum Patriarcham* renovabatur, erectus, a *Labano* nuncupatur *הר הותה* a *Jacobo* vero *גלעד* quod latine corrupte est *Gilead* (p) *Quid dicam de Novo? Quanta ejusdem Linguae reliqua ab ipso Christo & Apostolis ibidem*

(m) Natan, Alexand. Hist. Eccles. ad Sec. XIII. & XIV c. 2. p. 166. (n) in præfat. ad Lect. præfix. Grammat. LL 00. (o) in præfat. ad Lex. Syr. (p) conf. etiam Annotat: Franc. Votab, ad h. l.

(14) 20

dem nobis relicta? Dic quid Racba? Mammon? Talitha-
 Kumi? Cepha? Etbpatbach? Corbanon? Eloi, Eloi, La-
 ma Asaphani? Aceldama? Abba? Maran atba? Non-
 ne mere Syriaca? Pergit Crinesius: Fuit, inquit:
 hac lingua versante Christo in terris Judæe vernacula Act. I.
 19. ubi Dialectum seu idioma vocat Hierosolymitanum illud
 in quo ager sanguinis dicitur ἀκελδαμὰ, quod in nulla alia,
 præterquam in Syra נדב לרן &c.

Præter nomina quoque Hebraica MULTAS VO-
 CES MERE SYRIACAS occurrere in N. T.
 satis prolixè & perspicue docet magnus ille
 Philologus B. Glassius (q) & tandem (r) hoc de-
 ducit περίσµα: Quod ad legitimam N. T. inter-
 pretationem omnino, non solum Lingue Græcæ, verum
 etiam HEBRAICÆ atque SYRIACÆ cognitio requi-
 ratur vid. etiam Job. Ern. Gerb. (s.) Et ut Ja-
 cob Martini (t) Wolfgang. Franz. (v) Ema-
 nuel. Tremell. (x) Brian. Walton. & alios
 nunc præterrehar, unus addatur instar omni-
 um. Magnif. & Excell. Danzius Præc. ac Patron.
 meus valde honorand. ita (z) scribens: Intrepide
 dixerim, nec N. T. græcæ, nec V. Ebraicæ, plene ac per-
 fectè intelligi posse sine adjumento Lingue Syriacæ.

„Cur igitur addis, Antagonista, me Lutheri rigoro-
 sorem esse, scribente: Qui discrimen legis & E-
 vangelii bene noverit, is gratias agat Deo & sciat
 se

[q] in Philol. S. L. I. Tr. IV. S. II, p. m. 299. seqq. [r] l.
 c. p. 303. [s] Disputt. 3. & 4. ad N. T. Syr. [t] in præ-
 fat. N. T. Syr. Trostii. [v] in Tract. de interpp. Script.
 p. 46. [x] in Præfat. Paraph. Syr. [y] in Proleg. op. Bibl.
 Polygl. [z] in in præloq. Adit. Syr. reclus.

se esse Theologum. Nam certe Lutherus non suscipit Tecum patrociniū ignorantiae.

Aut enim intelligit Theologum vi vocis & etymi, hac ratione, Theologo, LL. OO. cognitio non est necessaria. Aut intelligit Theologum usitate dictum: Hoc modo nemo BENE novisse poterit discrimen Legis & Evangelii nisi LL. OO. gnarus. Tota quippe scriptura in ordine ad conversionem hominis dividitur in Legem & Evangelium. (a) Et Lex Dei tam late patet, ut tota vita dies noctesque sit versanda, tam abstrusa, ut cura tam perpetua & sollicita sit tractanda (b) adeo, ut qui BENE novit discrimen inter Legem & Evangelium, totam Scripturam explicare, confirmare & defendere non verit.

Econtra, si ex quavis versione Scripturae, discrimen Legis & Evangelii BENE internoscatur, & hinc aliquis dicendus sit usitate Theologus, quam quidem sententiam Luthero affingis, sequitur, nec Linguae Latinae notitiam praerquiri in Theologo usitate & κατ' ἐξοχὴν dicto.

In §. V. VI. & VII. frustra opponis Autoritatem Patrum, inferendo: Me illos fere omnes e numero Theologorum eliminare. Patres quippe & fulgentissima, illa Ecclesiae Antiquioris lumina admiror, habuisse tamen suos naevos & homines fuisse, humanis imbecillitatibus obnoxios, non diffiteor. (c) Quos praecipuos illorum errores annotavit Sixt. Senens. (d) conf. etiam B. Scherzer. (e) Quorum forte multos evitare potuis-

(a) Bajer. Compend. Theol. Posit P. III. c. VII. p. 797. (b) vid. Petr. Mossellan. in Orat. de var. LL. cognit. parand. (c) vid. Dn. D. Bechmann. Praecept. ac Patron. meus Honorand. Annotat. in Hutter. p. 48 (d) in Biblioth. S. L. V. & VI. (e) Syst. Th. p. 29. Brev. Hulf. c. I. p. 44. c. XIX. p. 1422.

potuissent, si is felicitatis iisdem obtigisset radius, ut liberior ad Scholas LL. OO. fuerit accessus. Quamobrem in seqq. argumento:

Si Patres olim dicebantur Theologi, & a nobis, qui cum Scriptoribus loquimur, etiamnum ita dicuntur, non obstante, quod LL. OO. essent imperiti; Seqq. nec hodie in Theologo proprie & usitate dicto requiri LL. OO. notitiam. Sed prius est. Ergo.

Prius concedo, sed consequentiam prorsus eo inficias. Posset enim quis, non dissimilem in modum argumentari. Si Patres olim dicebantur Theologi etiam si multa absurda & monstrosa dogmata defenderint seqq. Theologos proprie & ex usu loquendi qui hodie apud Eruditos obtinet, dictos, multa absurda imo impia dogmata docere posse. S.V.E.P.E.P.

Prius Probo v. g. Exemplo Augustini, qui defunctos precibus sublevari autumat. (f) Gregorii Nazianzeni, cujus periculosa de invocatione sanctorum est opinio (g) Origenis, qui Spiritum Sanctum Ministrum Dei esse somniavit (h) &c.

Quare, Censor, distingue tempora, & concordabunt mores. Olim celeberrimi Mathematici nuncupabantur honoris ergo Astrologi: Hodie tamen Astrologum dixeris hominem vanum scientiæque Mathematicæ ignarum, (i)

Qui

(f) Enchirid. ad Laur. c. 10. conf. Cent Magd. V. c. X. p. 644. (g) Orat. in laud. Basil. in fine Cent. IV. Magd. cap. IV. p. 165. (h) Cent. III. Magd. c. X. p. 185. (i) sentiente Celeberrimo Hambergero, Math. P. P. Præc. ac Patron, meo æternum Venerando.



Qui hodie *Reges*, appellantur, olim *Tyranni* nomen gesserunt, quæ vox nunc valde exosa est. (k) Pari modo quondam *Ecclesiæ Viri* dicebantur Theologi, etiam si LL. OO. Hebraicæ, Chaldaicæ & Syriacæ essent ignari. Ita ob egregias de Deo Orationes Gregor. Nazianz. *κατ' ἐξοχήν* dictus est Theologus, teste Hildebrando. (l) Quis vero inde ad nostra concludere velit tempora: Ergo LL. OO. *notitia Theologo proprie dicto & ex usu loquendi tali, qui nunc apud eruditos obtinet, non est necessaria?* Hoc enim seculo quod eruditissimum audit, mos invaluit & *usus loquendi*, ut neminem proprie dicamus *Theologum*, nisi qui *sufficienter respondere valet ad Adversariorum objectiones*, quod sine LL. OO. *notitia fieri non posse, supra demonstravi.*

Quid? quod hæc *autoritas P. P.* Titulum dissertationis Tuæ valde inadæquatum reddat: In eo enim promiseras ostendere: LL. Chaldaicæ Syriacæq; *notitiam e multis Ecclesiæ viris exulare.* Cur ergo hic omnes PP. præter *Origenem & Hieronymum* etiam *Hebrææ linguæ cognitione fuisse imbutos, negas?* Id inde probaturus, *quod passim habitarint, sitne vox ἑβραϊκά an alius linguæ?* Potuisses quoque addere, quod alii nomen *יהוה* legerint & scripserint *יהוה* i. e. *Pi pi* (m)

Hactenus itaque *autoritate Patrum* nihil contra me evictum dedisti: Ego vero *impræsentiarum, Eorum autoritatem Tua sententia* oppono. Quando enim defendere *omni conatu sustines: Theologo non esse LL. OO. notitiam necessariam.* In faciem Tibi con-

C 2

tradi-

(k) *Glasen. Polit. L. 2. c. 6. p. 208.* (l) *Disput. Theol. 2. de Theolog. Const. & Divis. §. XII.* (m) *Sagittar. Diff. Philol. Quanta sit Patr. Autor. c. 1. §. 4.*

tradunt Patrum scripta; Ita enim Chrysoſt. (n) *Ultrius est pomum quod tuis manibus decerpseris ex ipsa arbore: Ut dulcior aqua quam ex ipsa vena subscatentem hauseris: Ut jucundius vinum, quod ex eo deprompseris dolo, in quo fuit primum conditum: Ita divina litera, nescio quid habeant nativæ fragrantia: Nescio quid spirent suum & genuinum, si eo sermone legantur, quo scripserunt ii qui partim e sacro hauserunt ore, partim ejusdem afflati Spiritu nobis tradiderunt, & Augustinus (o) Quemadmodum, inquit, Veterum scripturae librorum fides ex Ebraeis voluminibus examinanda est: Ita Novorum librorum Veritas Græci sermonis normam desiderat.*

Nec non e diametro Tibi adversatur Orthodoxorum sententia, quod cum *Eruditis Pontificiis* disputaturi, *Versionem vulgatam* rejicientes, ad *Textum Ebraicum & Græcum* confestim recurrere: Nec Judæis id vitio vertere debeamus, quod nobiscum disputantes ad *Textum Ebraicum* provocent: Tu vero Theologum etiam *Ebraeæ* Linguae cognitione carere posse affirmas: Vide quomodo ex hoc tortuoso Labyrintho Te expedias?

Locum in §. V. ex Crinito, *bona fide* allegasti, ad dictum forte & oculos aliorum, quod valde periculosum est. Ego enim evolvi Crinitum (p) qui quidem meminit Hieronymi, nec verbulum tamen de *Hebraea* eruditione, nec de *Nicodemo* profert.

Præterea, hominem Te esse, non multæ lectionis in *historia Ecclesiastica*, probat *Dissert. Tua* (q) quando

(n) Hom. in Matth. 79. (o) citante Jur. Can. Dist. 9. V. Veterum (p) de honesta discipl. L. I. c. X. (q)

do B. L. persuadere allaboras: *Neminem ex PP. prater, Origenem & Hieron. LL. OO. gnarum fuisse.* Ego nullus, dubito, extitisse in Antiquiori Ecclesia semper, Viros OO. LL. gnaros, cumque acerrimæ Disputationes aut colluctationes, in primis post C. N. seculis sustinendæ, pluresque in Judæorum Synagogis essent, ingenio, doctrina, facundia, ætate graves & venerandi viri, concioni Evangelicæ sese opposcentes, Divinam sibi Providentiam asservasse viros τῆς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν idoneos (r) & LL. OO. peritos. Quinam autem sint, & quando floruerint Patres? perspicue tradit *Sagittarius: Patrum, scribens, nomine, sunt intelligendi Ecclesie lumina, qui per V. vel VI. a Christo secula priora, Orbem Christianum Doctrina & scriptis illustrarunt.* (s) Hoc dato, probo facile, per omnia PP. secula floruisse Patres & viros de Ecclesia meritissimos, LL. OO. gnaros.

In PRIMO SECULO eos extitisse, qui negaret, contra solem mingere videretur, ut verbo utar Pythagorico, cum Apostoli eorumque comministri in quovis scientiarum & Linguarum genere, Divino Spiritus afflatu eruditi sint.

In SECULO SECUNDO floruit *Egesippus*, genere Judæus, (t) sed vir summæ eruditionis ac autoritatis qui in scriptis suis *Hebræa dialecto* usus fuit (v) *Bardeanes* licet tandem hæresin *Valentinianam* secutus sit, antea tamen fuit eruditissimus in Lingua SYRORUM, in qua etiam multa scripsit, postmodum a *Discipulis ejus* quos habuit, translata. (x) Floruit etiam

C 3

[r] Tit. I. 9. (s) Dissert. Quant. sit Patr. autor. c. I. §. I. (t) Sixt. Senens. in Biblioth. S. L. IV. p. 242. (v) Cent. Magd. II. C. X. p. 136. (x) Cent. Magd. II. C. X. p. 140.



iam hoc in seculo *Evaristus*, qui in Episcopatu Romano, *Clementi* successit quem EBRAICA edoctum fuisse, valde probabile est, cum ex Patre *Judaeo*, cui Judæ nomen, natus fuerit. (y)

IN SECULO TERTIO incumbabant Christiani in id, ut scriptura in Linguam Græcam versa, *hebrao* fonti responderet. (z) Et laudatur *Lucianus Samosatenus*, quod fretus *Hebrææ* Linguæ cognitione, cui operam dederat, ad *Ebraeos* fontes omnes Vet. instrumenti codices exegerit. (a) *Dorotheus Presbyter Antiochenus* Græcarum literarum primum, deinde & *Divinarum* & Linguæ *Hebrææ* studiosus fuit. (b) *Heraclas Episcopus Alexandrinus*, adhæsit pluribus annis *Origeni* & divinarum literarum excellentem (i. e. exactissimam) cognitionem sibi comparavit. (c)

IN SECULO QUARTO, *Hieronymo* teste, *Judæi* CHRISTIANOS EBRAICE LOQUENTES ob accentum & pronuntiationem irridere solebant. (d) *Epiphanius* Vir fuit eruditione insignis & propter ῥ. LL. peritiam, *πενταγλώττος* a *Hieron*, nuncupatus (e) Eumque non fuisse *Ling. Ebr.* rudem, ex scriptis ejus constat (f) *Eusebius* pariter, *Cæsarea Palestina Episcopus*, transtulit omnes Libros V. T. qui in *Hebræorum* sunt Canone, in Græcam Linguam. De *Locis Hebraicis* scripsit librum unum (g)

IN

(y) Cent. Magd. II. C. X. p. 195. (z) Calixt. in Appar. Theol. p. 115, seqq. (a) Id. l. c. p. 116. (b) Cent. Magd. III. c. X. p. 149. (c) Cent. Magd. l. c. p. 157. (d) Cent. Magd. IV. c. XV. p. 858. (e) Sixt. Senens. in Bibl. S. L. IV. p. 242. (f) 2. tom. 2. hæc. p. 69. (g) Sixt. Senens. Bibl. S. L. IV. p. 245.

In SECULO QUINTO *Isaac*, Presbyter Antiochenæ Ecclesiæ scripsit SYRO sermone longo tempore & multa. (b) *Severianus Antiocho* coætaneus, pollens & ipse facultate docendi populum, inferior quidem illo, in pronuntiatione Græcæ Linguae, quod homo SYRUS non nihil crassitiei retineret, superior autem pondere & gravitate Testimoniorum S. Scripturæ (i) *Theodoretum*, octingentarum Ecclesiarum Pastorem (k) LL. OO. notitia non destitutum fuisse, eo probabile est, quod non solum Syrus fuerit natione, ingenium habens excellentissimum; Sed & adversus Judæos scripserit & varia certamina susceperit. (l)

Videat L. B. manifestam ignorantiam Censoris mei, quam prodit scribendo: *Neminem ex PP. præter Origenem & Hieron: LL. OO. gnarum fuisse.*

Nec dictis obstant, verba B. Martini Chemnitii: NB. *solum Hieronymum natum ex Christianis parentibus habuisse cognitionem hebraicæ lingua.* Nam i. autoritati B. Chemnitii, autoritatem B. Lutheri oppono, scribentis: NB. *Non solum Hieronymum sed & alios ante ipsum, ut Aquilam, Theodotionem, Origenem edidisse novas versiones, quæ & inde Hexapla nominata sunt.* (m) 2. Verba Chemnitii explicari possunt per verba Trostii (n) & Fabricii (o) *Hieronymum scilicet cæteris DD. primitiva Ecclesia N. T. fuisse in Lingua Hebræa peritiorum.* Tenuit enim Græcam, Hebræam, Syram, Chaldæam, Latinam, omnes

[h] Cent. Magd. V. c. X. p. 559. (i) Cent. Magd. V. c. X. p. 562. Sixt. Sen. Bibl. 5. L. IV. p. 324. (k) Sixt. Sen. p. 327. (l) Cent. Magd. V. C. X. p. 564. seqq. (m) Tom. 3. Witt. Lat. p. 81. [n] in præf. ad N. T. Syriacum. (o) in Præf. ad Gymn. Syr. Crines.

omnes æque ac Dalmaticam, maternam sibi Linguam
(p)

Ex §. Tuo VIII. sequens subnascitur Syllogismus:
Si Lutherus Syriacæ lingua notitia destitutus fuit.
Seqq. quod Ling. Syriacæ notitia nullo Theologo pro-
prie dicto formaliter sit necessaria. Sed verum est
prius. Ergo posterius.

Verum vacillat consequentia, non enim exemplis,
sed legibus judicandum est. *Lutherum Heroa, ut Boxbor-*
nio vocatur, incomparabilem (q) & insignem cum Job.
Gerb. (r) Ecclesiæ Doctorem agnosco, cui ab aliquibus
hoc tribuitur præconium, quod tanta dexteritate & per-
spicuitate Propbeticas & Apostolicas, interpretatus sit Scri-
pturas, quanta nullus unquam interpretare potuit,
aut factururus est. (s.) Quod scripturarum ad miraculum
usque peritus fuerit. (t.) Quod tot Rabbinorum fuerint mil-
lia: Tot, qui sibi Dii viderentur: Nullus tamen extiterit, qui
Luthero solide doctæque responderet (v)

Nulla tamen, *Censor & Antagonista*, adstringor
necessitatis lege, ut *Lutherum* normam, mensuram
ac regulam esse adstruam, juxta quam, de omnibus
aliis *Theologis proprie & ex usu loquendi hodierno* sic dictis,
judicium ferendum sit. Sed adductam *Definitionem*
(x) normam regulam ac mensuram esse sentio, cujus
ductu, de omnibus iis, qui *Theologi HODIE* appellan-
di sunt, judicari debet. Vide, *Censor, Te & heic mi-*
rum

[p] Sixt. Sen. B. S. L. IV. p. 260. [q] in Hist. Eccles. p. 1044.

(r) in Conf. Cath. L. I. p. I. c. VI. (s) conf. Diss. de me-

moriam Taumasiand. Luth. c. 9. §. 10. p. 39. (t.) Joh. Fi-

scher. in epist. ad Roterod. (v) Ejusd. Epist. ad Godschalc.

Rosamund. anno 1520. conscript. (x) ex Phil. prim. He-

benstr. p. 41.

rum in modum hallucinatum esse. Nisi enim plane
 hospes esses in *Logicis*, certo constaret, necesse est,
 quod omnis *definitio* sit prior ac notior definito, nobis-
 que distinctius exponere debeat ea, quæ in definito la-
 tent (1) Tu vero definitione neglecta, definitum
 cum definitionem misere confundis. Quæstio agitur
 Te inter & me: Quisnam dicatur *Theologus usitate di-*
ctus? Ego ex *Hebenstreitio* adtero definitionem: Cur
definitionem admittis? Hac enim admitta, argumen-
 tor: *Quibuscunque competit hac definitio, illi sunt Theo-*
logi proprie & usitate dicti. Et contra. Argumenta e-
 nim ex rerum *definitionibus* petita, referuntur ad apo-
 dictica.

Quare ridicule Obstrepis: B. Dannbauerum prolixio-
 rem conscripsisse *Dissertationem de memoria Taumasiandri,*
Lutheri, in qua commemoret Dannbauerus: Lutherum sal-
tim trium LL. peregrinarum Ebraice, Græcæ & Latine,
gnarum fuisse. Nam Resp. Quamvis concedam, Lu-
 therum Syriacam linguam non fuisse edoctum, ex hoc
 tamen loco, illud probari non posset sufficienter, Quid
 enim respondebis, si cum *Laurentio Fabricio Ebr. Ling.*
Profess. quondam *Wittebergensi* (2) reponam? E-
 braeam Linguam, cum dico, non intelligo solum MATREM,
 sed ejus etiam FILLAS, quas maxime generosas & illustres
 divinis *Scripturis* ancillantes, CHALDÆAM & SYRAM
 regio ornatu incedentes &c.

Deinde etiam prætervides *Autorem Dissertat. de*
Taumaf. Luth. Neque enim *Dannbauerus* eam conscripsit,
 alias

(1) Bechm. *Inst. Log.* p. 550. 551. (2) in *Præfat. Gy-*
mnas. Syr. Crines.

alias B. Vir se ipsum appellasset *Virum maxime Venerandum & excellentissimum SS. Tb. D. Prof. ac Patr. & Præc.* (a) quod est absurdum. Sed *Autor* est M. Joh. Mich. von der Straß *Pastor* in ober und Mittelhaußbergen/ quod testatur ipse B. Dannhauer. (b) & videre licet ex §. ult. (c) videris mihi proinde, ne quidem dissertationem hanc legisse, sed *bona fide* allegasse.

Cur verba *Lutheri*: *Non sum hebraeus &c.* in §. Tuo VIII. ex *Dissert. de Taumas. Luth.* exscriperis? Ex *Tuo stylo*, meo quidem iudicio, salvo cuiusvis meliori, "nemo adsequi valebit. Ita enim scribis: *Imo nec hebraicae Linguae peritia se haud exacte fuisse instructum, opido fatetur Lutherus, ubi ait: Non sum Hebraeus &c.* Si tamen recte mentem tuam percipiam, his verbis uteris contra *Lutherum*, probaturus: *Lutherum* ne quidem *Grammaticam Ebraeam* calluisse. Idem fecit antehac *Gretserus*, Pontificius *Luthero* infensissimus, qui ut *Luthero* laudem derogaret, vehementer hæc verba exagitavit (d) Ita mortuo *Leoni* insultas, & umbram mortui *Lutheri* affligis, quod temerarium est. (e) Fateor, me *Luth.* (f) evoluisse, hæc tamen verba, quæ forte, *bona fide* allegasti, non deprehendisse. Posito autem *Luth.* vell. c. vel alibi ita locutum esse, non tamen rejicit in his, studium *hebraeae Linguae*, vel *Grammaticam*, sed dūtaxat *Grammaticam Rabbīnicam*, quod quidam sint Grammatici, sed res non norint. Ita interpretatur hunc locum *M. Job. Frid. von der Straß.* (g) Non-

(a) p. 94. *Dissert.* (b) sub fin. *Præfat.* (c) p. 94. c. XV. (d) vid. *Dissert. de Taumas. Luth.* c. 7. §. 5. p. 19. (e) vid. *Diss. mea: de mort. & Abs. non nisi bona.* c. 3. pos. IX. p. 25. [f] tom. 3. *Witt. Latin. comm.* in ult. verba *David.* (g) in *Diss.* quam conscripsit de memoria *Taumas, Luth.* c. 7. §. 5. p. 19.

Nondum definit instantias fabricare; Hinc in §. IX. & X, objicis: *Apostolos ante Ascensionem Christi & Theologiae Doctores in Academiis, omnino esse Theologos?* Respondeo breviter: Si *Apostoli ante ascensionem Christi*: Itemque *Theologiae Doctores in Academiis, pollent requisitis Theologi proprie & usitate dicti*; Eos esse *Theologos*, nemo negat; Sin contrarium probaveris, illos esse *Theologos proprie & usitate dictos*, vi Definitionis *Hebenstreitiana*, constanter nego.

Posthæc graviter in me inveheris, scribendo: "*Scias mi autor integrum hoc requirere hominem, ut trium LL. Ebr. &c. exacta cognitione imbuatur &c.* Sed i. Scias Tu, mi Censor, quod omnino Jupiter non in utramque, quod ajunt aurem, dormientibus vel ignavis ignorantiae fratribus, nihil tale expectantibus, cælitus quicquam sit demissurus; Sed *Theologiae habitus per immensos obtinetur labores, adeo, ut homines non solum se totos, sed & universam suam vitam eidem mancipare debeant*: Hieronymus hoc suo comprobat exemplo, scribens: *Quid laboris insumpserim? Quid sustinuerim difficultatis, quoties desperaverim, quoties cessaverim, & contentione discendi rursus inceperim, testis est conscientia mea, qui passus sum, quam eorum qui mecum vitam duxerunt* (h) Quantam adhibuerit industriam *Lutberus noster, vel exinde constat quod non parco solum & parabili victu ad implenda natura desideria defungi consueverit, sed & in studiis summe assiduus fuerit, ut integros aliquando dies cibo abstinens, iis invigilaret.* (i) ut merito dicatur *Minister in Domo Dei laboriosus.* (k)

D 2

Dicis

[h] vid. Pet. Mosellan. Orat. de variat. LL. Cognitione parand. [i] B. Seckend. Hist. Luth. l. I. p. 22. & passim.

[k] Diff. de Taumas. Luth. memoria c. 8. §. 7. p. 25.

“Dicis in eodem §. X. *Eos, qui animum totum
 emancipant Linguis, negligere cetera requisita, quæ Theo-
 logum constituunt.* Respondeo minime. Si enim no-
 bilis *Paula, Hieronymi* exemplo & præcepto adjuta, *Grae-
 ca & Ebraica* edocta est, ut *Hebraicos* Psalmos vel ad
 eorum modulum modularetur. (l) Quid vetat, quo minus fu-
 turus *Ecclesie Doctor* non sepositis reliquis quoque stu-
 diis, LL. OO. notitiam sibi acquirat. Turpiter despera-
 bitur, quicquid fieri potest. (m) Neque tres *Linguae, Hebrai-
 ca, Chaldaica, Syriaca* multum sibi sunt dissimiles (n)

Increpas subinde in *Diff. Tua*, præsertim in §. X.
 “*Si EXACTISSIMA* requiritur LL. OO. cognitio seqq. ne-
 minem in toto mundo reperiri Theologum &c. Sed Resp.
 per EXACTISSIMAM non intelligo omnibus mo-
 dis ac numeris perfectam ac absolutissimam cog-
 nitionem qualis quidem in hac vita non datur (o) Sed,
 quod facile ex toto contextu *Dissertationis* meae liquet,
 (p) cognitionem excellentem & sufficientem ad ex-
 plicationem, confirmationem, & defensionem *Scripturæ*
Sacræ, qualis in homines cadit, PRO STATU HU-
 JUS VITÆ acceptos. Ita de *Cicerone* dicitur, quod
 habuerit exactissimam *Linguae Latinae* notitiam. Et
Hieronymus dicitur *Vir* in omni doctrinarum genere
absolutissimus. (q)

Glossa *Tua*, qua *Locum* 1. *Cor. XII. 10.* interpre-
 taris, quod aliquibus tantum *Apostolis* sint data *Lingua-
 rum*

[l] vid. *Pet. Mossellan. Orat. de var. LL. cogn. parand.*
 [m] *Id. in orat. cit.* (n) *Lud. de Dieu, in Epist. De-
 dic. Gramm. LL. OO.* [o] teste *Apostolo* 1. *Cor. XII.*
9. ἡ καὶ μέγιστος γινώσκουσα. [p] §. XIV. p. 8. (q) *Sixt.*
Senens. B. S. L. IV. p. 269.

rum genera repugnat Lucæ (r) Cujus Historiæ, si cre-
dis, *Paracletus* supra omnes sedit *Apostolos*, illisque Lin-
guæ visæ sunt dispersitæ & omnes (*ἀπαντες*) repleti *Spiri-
tu S.* ceperunt loqui linguis. Mens itaque *Paulina* (s) huc
redit: Quod omnibus quidem *Apostolis* data sint gene-
ra linguarum & interpretatio Linguarum, uni tamen
præ aliis in perfectiori & excellentiori gradu. (t)

Sed pergamus ad §. Tuum XI. In quo per *Quæ-
stiones* contra me disputas, quod merito inter leges an-
tiquatas refero, olim enim per quæstiones disputaba-
tur. (v) Videbo tamen quid *quæstiuncula* habeant in
recessu? *Quid autem*, auspicias, *Candidissime autor*,
(*fistula dulce canit*) *intercedit Tibi negotii cum Mini-
stris Ecclesiæ &c.* Quos etiam supra in §. II. *me extermi-
nare dixeras e censu Theologorum.* Hac ipsa fane, qua
in me nondum *debauchari cessas obrectatione*, nisi
signa animi male sani, certe impotentis, L. B. conspi-
cienda præbes. Ubi enim vel verbulo in *Diff. mea Mi-
nistros Ecclesiæ e censu Theologorum* exclusos volui? Hoc
demonstravi, quod omnis, qui requisitis *Theologi usitate*
dicti, in *definitione* traditis, polleat, sit *Theologus usitate*
dictus. Quod vel ad nauseam denuo inculco. Hinc
citavi *BB. DD.* interque eos *Mayfarium.* Nunquam
negavi, quod omnes, qui pollent requisitis *Theologi*
proprie dicti, sint *Theologi proprie dicti*; Valde tamen
dubito, (nec desunt dubitandi rationes) omnes ac
singulos *Ecclesiæ ministros* instructos esse istiusmodi
requisitis. Neque hoc ab iisdem requiritur, Risum
quip-

D 3

(r) Actor. II. r. seqq. (s) l.c. (t) conf. B. Bald. Com-
ment. in h. l. p. 470. n. 12. (v) vid. Hebenstr. Instit.
Logg. S. p. 258



quippe moveret v. g. *Ecclesie Minister*, qui, sive in oppido sive in pago, ex fontibus, Adversarios & hæreticos pro cathedra Ecclesiastica refutaret, cum nemo Auditorum vel unquam de hæresibus istis audiverit vel LL. OO. gnarus sit. Nam *Ecclesiastæ seu qui populum e suggestu erudiunt, non nisi simpliciore metodo, & aut omnium, aut plerorumque captui congrua exponunt &c.* scribit erudite *Petrus Musa*. (x) Non ergo nego: Aliquos *Ecclesie ministros* esse instructos requisitis Theologi usitate dicti, & consequenter *materialiter* esse *Theologos*. Nullus tamen *Minister Ecclesie formaliter*, seu quatenus *minister Ecclesie*, est *Theologus usitate dictus*. Hinc *B. Calixtus* distinguit inter *Theologiam ACADEMICAM & ECCLESIASTICAM*. (y) Et alibi (z) scribit: *Aliud est docere Catechumenos fidem; Aliud est docere Studiosos Theologiam. Neque Catechumeni Theologiam docentur, neque Auditores nostri primum a nobis articulos fidei discunt, quod Catechumenorum esset.* Addatur *Pet. Musa*. (a) scribens: *A simpliciore ista institutione Theologia ECCLESIASTICA nuncupatur &c.* Qui autem in *Scholis illustribus seu Academiis docent, accuratius ac plenius omnia prosequuntur.* Neque hoc derogat quicquam honori vel auctoritati *Ministrorum Ecclesie*, quod non denominentur *Theologi proprie & usitate dicti*. Cum alias satis præclara nomina & insignes in sacris illis tribuantur tituli. Videlicet, quod sint *Ministri Dei, Nuncii Dei, Angeli, Pracones verbi Divini, Dispensatores Mysteriorum Divinorum, Ministri N. T. Cooperantes, Pastores &c.*

Inepte

(x) Disp. I. de Nat. & const. Theol. in gen. P. 17. S. 55. seqq.

(y) Appar. Theol. p. 172. (z) App. Theol. p. 13.

(a) l. ante c.

Inepte ergo scribis, *Censor*, me in in propria *favire* viscera? Mihi quippe sufficiet *Gratia divina*, si forte, cætui *Pastor* vel *Minister Ecclesie* præficiendus sim, & absit, ut tanta ambitione vel fastu me abripi sinam, ut *Theologi usitate dicti* Titulum affectem. Tu autem, qui *Theologus usitate dictus* audire amas, quo titulo tam præstantes, deque universa *CHRISTI Ecclesia*, egregie meriti *Doctores*, indignos sese fassi sunt, caveas, ne superborum potius *Theologastrorum* adnumereris catervæ. *Non efficiamur inanis gloria cupidi* (b) *Nam abominatio est Jehova, omnis elatus corde.* (c)

Quod in *Diss. mea* passim allegaverim scripta *Jctorum*, sine ratione vituperas, quia cum ratione & *Judicio* id factum est. Tu autem quam infeliciter *falcem Tuam* mittas in *Medicorum* messem videre licet ex seqq. *Quæst. Nonne, quæris, subjectum operationis Medicinae est homo ægrotus, & finis in illud introducendus sanitas? Respondebis est. Sed minime gentium. Falsissimum est, quod subjectum operationis Medicinae sit homo ægrotus. Subjectum operationis Medicinae est potius corpus humanum, quatenus sanabile, h. e. quatenus sanum & ægrum, sanitati & morbis obnoxium. Ita me docet Illustr. & Magnif. noster Wedel. h. t. Academ. Rector.* (d)

Quæris secundo: *Nonne is, qui sanitatem in ægrotum ex officio introducit, usitate & primario meretur appellitari Medicus? crediderim quod sic. Sed respondeo: Credideris quid velis; Nonne is quoque primario & usitate meretur appellitari medicus, qui spe excidit & fine suo frustratur? Crediderim quod sic: Quia medicina est ars cōpōs.* (e)

Non-

(b) Gal. v. 26. (c) Prov. XVI. 5. (d) in *Physiol. Med. P. I.* c IX. (e) vid. *Hebenstr. Instit. Logg. S. prælim. S. VII. p. 5.*

Nonne is dicendus quoque est medicus, qui corpus humanum sanum, in sanitatis statu conservat? Crederim quod sic. *Præunte Wedelio (f)*

Incongruo itaque fundamento superstructa corruat moles, necessum est. Quod ipse probas, dum
 “nondum inutiles *questiones* formare desinis; *Annos*
 “pergis, *similiter is, qui finem Theologia, fidem & vitam*
 “*aternam in S. O. per ordinaria media* introducit, *usitate*
 “*ac primario meretur appellari Theologus, quemadmodum*
 “*qui sanitatem in egrotum* introducit, *Medicus? Non po-*
 “*tes quin affirmes?* Sed, non possum, quin negem. Si-
 cuti enim is tantum *usitate* *Medicus* appellatur, qui *habitu medicinae* pollet & cui competit *definitio Medici*. Ita is tantum *usitate* *THEOLOGUS* audit, qui pollet *habitu Theologiae* & cui competit *Definitio Hebenstreitiana (g)*. *Theologiae* enim *opera* eo non tendit proprie, ut *Christianos* efficiamus, qui antea non erant, sed ex *Christianis* efficiamus *Doctores Christianorum & SUPPONIT, uti pridem monui-*
 mus, *FIDEM. (h.)*

“In §. XII. *Nimis curiosum me esse, somnias, dum*
 “*verba Hebenstreitiana* includere *notitiam LL. OO. adstru-*
 am; Sed vero, posito: *Te LL. OO. ignarum, consti-*
 tutum esse in certamine cum *Judeo* provocante illico
 ad fontes *scripturae S.* Quomodo quæso respondebis
 sufficienter ad *Adversarii objectiones?* Et nisi sufficienter
 responderis, quomodo dicendus eris *Theologus usitate*
 “*dictus?* Arguis: *Hebenstreitium* non requirere, ut *THEO-*
 “*LOGUS* ad *OMNES* respondeat *objectiones adversario-*
 “*rum cum indefinite loquatur: ad objectiones adversario-*
 rum

(f) l. c. p. 21, 25. (g) vid, *Dissertat. mea* p. 8. (h) *Ca-*
 lixt, l. c. p. 13.

rum. Sed ex Logg. novisse debuisses, quod, licet hæc indefinita non *universalis*, sit tamen *universaliter vera*, h. e. Licet ei non sit præpositum signum universale, salva tamen veritate præponi possit, (i) eoque, qui dicit: ad Theologum proprie dictum requiri, ut ad objectiones adversariorum respondeat *sufficienter*, hoc ipso nullas adversariorum objectiones excludat. Aut ergo Theologus ad omnes respondebit *Adversariorum* objectiones, aut ad aliquas. Si ad aliquas: Dic quænam illæ sint? Et quænam excludantur? Certe, qui ad aliquas saltem valet respondere *Adversariorum* objectiones, non est idoneus *τὸς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν*. (k) Alioquin Mulieres & Mechanici forent *Theologi*, *τὸς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν* idonei. Cæterum, stat sententia, quod LL. OO. *notitia destituti*, ad adversariorum argumenta *sufficienter* respondere & consequenter *Theologi usitate dicti*, audire nequeant.

In §. XIII. sentis, B. Bajerum Plebejos saltem *Theologi nomine indignos judicare*. Sed quod cum pace Tua dixerim: Verba *Bajeriana* abs Te allegantur, ea fere ratione, qua citatur *Psalmus 91. in Matth. IV. 6.* Ita enim habent verba *B. Viri* (l) quæ Tu quidem negligis: *Theologia ex usu loquendi importat habitum cognoscendi Deum & res Divinas, easque docendi, confirmandi ac defendendi &c.* Hoc autem quid sit, exponit celeberr: *Hebenstreitius* (m) Quare omnino *Bajerus*, ab illis qui *res divinas* contra tantam adversariorum Cohortem *sufficienter* defendere conantur, requirit, ut exactissima (h. e. excellenti) LL. OO. *notitia* gaudeant.

E

Ver-

(i) Vid. Bechm. Instit. Logg. p. 142. seqq. (k) Tit. 1. 9. (l) in comp. Theol. pos. prol. c. 1. §. 1. p. 1. (m) In Philos. prim. p. 41.



Verbis subsequenter: *Quis vero in tantam ir-*
rupit proterviam &c., ut & exemplo a *Ludimoderatore*
pagano petito, potuisses supersedere Per injuriam e-
 nim mihi affingitur, quod unquam ita nude & crude ad-
 seruerim: *Ministros Ecclesie non esse Theologos.*

Si autem *Ministri Ecclesie formaliter & quatenus ta-*
les sunt Theologi, quod hactenus persuasum Tibi habui-
 sti, non video, quo jure illos excludas (n) qui nec
Academiam, nec *Theologia Doctorem* unquam visere.
 Existimaverim, illos esse *Theologos proprie dictos*, qui
 requisitis *Theologi proprie dicti* non destituuntur, si
 vel maxime nunquam *Academiam* vel *Theologia Docto-*
rem viderint. Quid enim juvat ad spectus? Taceo
 jam, Te ipsum in §. IX. *Apostolos* post resurrectionem
 Christi, cælesti, ut putas, Spiritus gratia, nondum e-
 doctos, imo & *Patres*, in primis post Christum natum
 seculis, *Theologos proprie & usitate dictos* esse, defende-
 re; Quam vero isti *Academiam*, Quosnam *Theologia*
Doctores viderunt?

In §. Tuo XIV. ad *Gerhardi* verba (o) respon-
 des, *Eidem de iis Linguis esse sermonem, quibus V. & N. T.*
scriptum est. Atqui subsumo: *V. & N. T. scriptum est*
Lingua Ebraea, Chaldaea & Græca multis *Syriacis* inter-
 mixta. Ergo. Major est Tua. Minor probata est suf-
 ficienter in superioribus. (p) Conferri tamen potest de-
 nuo *Danzius* (q) qui apposite scribit: *Dignam fore lin-*
guam Syriacam, ut a quovis Theologia mancipato addisca-
tur a vide &c. Et paulo post: *Studiosi vel Ebraice rectius*
addiscenda, ad eam Syriacam.

In

[n] sub fin. §. Tui XIII. [o] Gerh. in Exeg. LL. §. 17.
 p. 9. (p) p. 12. seq. (q) in præfat. odit. Syr. recl.

In §. XV. instar anguillæ Te torquēs, ut me eludas, sed in cassum cadit labor Tuus. Cum enim dicis: Pfeifferum per LL. OO. intelligere solam Græcam & Hebræam, certe contextus repugnat, quod ut evidentissime demonstrē, argumentor:

Quarumcunque Linguarum adminiculo, Loca obscura SS. ubi interpretes inter se dissident, explicantur & ex fontibus recte eruuntur, cum Eruditis adversariis disputatur, & emphases Textus authentici satis percipiuntur: Illarum notitiam, Pfeifferus Theologo dicit esse necessariam. A. LL. Græca, Hebræa, Chaldaea & Syra adminiculo &c. Ergo. Major totidem verbis in Pfeiffero legitur (r) Minor in superioribus perspicue a me probata est. [s]

Hoc tamen non obstante: Theologum etiam absente LL. OO. notitia, præsto esse philosopharis, & in hoc argumento: Quod Theologo est necessarium, sine illo, nemo potest esse Theologus; LL. OO. notitia, Theologo est necessaria. E. nemo sine LL. OO. notitia potest esse Theologus, Majorem non procedere arbitraris, cum similem in modum argumentari possis: Quod studioso, vel homini est necessarium, sine illo nemo potest esse homo vel studiosus. Atqui pecunia studioso, vestimenta homini sunt necessaria. Ergo nemo potest esse sine pecunia studiosus, sine vestimentis homo. Conclusio est falsa. Ergo aut major, aut minor. Non minor. Ergo major. Nafutum certe argumentum, quod tamen si reticuiſſes: metaphysicus mansiſſes. Distingvendum enim est inter qui & qua, inter materialiter & formaliter, inter sensum divinum & compositum. De quorum terminorum acceptione consulere poteris: Summe Rev. Dn. D. Hebenstr. (t)

Hoc dato, Major ita limitata: Q. Theologo est necessarium forma-
E 2 liter

(r) Crit. S. p. 68. & 69. (s) p. 13. seq. (t) in Philos. prim. p. 200.



liter & insensu composito, sine eo nemo potest esse Theologus, est verissima & corruunt omnes Tuæ instantiæ.

Neque enim spero, Te tam rudem fore, ut dicas: *Studiosis quatenus studiosis* necessariam esse pecuniam: *Homini quatenus tali* necessaria esse vestimenta. Si enim, per exemplum, aliquis ob pecuniæ carentiam, Academia relicta, aliorsum sese converteret, adque tempus, *Consilarii informationis*, quem alii *pedagogum* vocant, defungeretur munere; Quis quæso illum *Studiosum* desivisse existimaret? Aut si studiosus ex *Academia* tendens in Patriam, ab aggressoribus in itinere, privetur vestimentis: Quis illum abhinc *gallum gallinaceum* aut *simiam* vocaret?

Sed hoc modo limitata majore, negabis forte meam *minorem*: Quod *Theologo*, quatenus *tali*, seu *formaliter & insensu composito* juxta Pfeiff. LL. OO. notitia sit necessaria. Quare eam corroboro sequenti Syllogismo: Q. *Theologo est necessarium ad explicandas S. S. ad probandos ex fontibus omnes fidei articulos, ad disputandum cum Adversariis e fontibus & considerandas emphases Textus S. S. authentici: Illud Theologo formaliter & in sensu composito est necessarium. Atqui LL. OO. notitia, Theologo est necessaria ad explicandas &c. E. LL. OO. notitia Theologo formaliter & in sensu composito est necessaria. Q. E. D.*

Major probatur, quod explicare &c. probare &c. disputare &c. sit *Theologi formale* (v)

Minorem confirmat ocularis lustratio contextus Pfeifferriani.

In §. XVI. Obmurmuras: Quod B. Scherzerus multominus *patrocinium* suggerat, quia de *apparatu*, non de *exquisitissima notitia* &c. loquatur; Verum, illum LL. *apparatum* intelligit B. Scherzerus quem *Theologia*, prærequirit. Atqui *apparatum* LL. *exquisitissimum* (quatenus quidem in homines pro statu hujus vitæ cadit) *Theologia* prærequirit. E. *Apparatum* LL. *exquisitissimum* B. Scherzerus intelligit. *Maj.* constat ex contextu (x) *Minor* ex jam supra subinde demonstratis. In

(v) juxta Definit. *Theologi*, quam tradidi ex Hebenstreitio in *Diss. meâ* p. 8. [x] vid. Scherz. l. c.

"In §. XVII. reponis: *Mayfartum non interponere hoc discrimi-*
nis inter doctores Theologos & proprie dictos & inter Pastores Eccle-
sia, quod nomen Theologi non ex aequo participant. Sed forte non
legisti Mayfarti prodromum Elucidarii. Quare non piget verba
ejus adscribere: Vocabulum inquit (y) Theologia 4. potissimum
habet significationes 1. generalissime accipitur pro omni Dei notitia. 2.
Specialiter, pro fide & religione Christiana, quae fidelibus communis est.
3. specialius, pro functione ministerii Ecclesiastici, quae consistit in praedica-
tione verbi & Sacramentorum dispensatione. 4. Specialissime, pro accu-
rata & perfecta (quantum tamen in hac vita datur) mysteriorum divi-
norum cognitione, cum excellenti διουόμεναι τῆς ἀντιλέγοντας ἐλέγ-
χεν. Unde apparet aliquid discriminis esse inter doctores Theologos
seu proprie dictos, & inter Pastores Ecclesiae singulariter acceptos. Ex
quibus conspicuum est: Nullum, juxta Mayfartum, Pastorem Ec-
clesiae, singulariter acceptum, vel quae talem, esse Theologum proprie
dictum. Hinc dicit, illum ab hoc differre. Eundem fere in modum
Calixtus distinguit, (z) inter Theologiam Academicam & Ecclesiasti-
cam: Illiusque esse dicit Disputationes. Confirmare quippe & confu-
tare esse disputare. Exacte & accurate disputare de quavis quaestione
vel dubio Theologico esse Theologiae, quam Academicam vocant.

Quod Hildebrandus (a) Theologos perfectos & κατ' ἐξοχήν
 sic dictos, expresse distinguit a praedicatoribus verbi divini vel ministris
 Ecclesiae in oppidis etiam & pagis, nemo Tecum negabit, qui legere
 & lecta intelligere novit.

Tandem regeris: *Ministorum Ecclesiae esse τῆς ἀντιλέγοντας,*
ἐλέγχεν. Ad quid alias conduceret in concionibus usus elenchticus &c.
 Sed respondeo cum Calixto (b) *THEOLOGIA ECCLESIASTICA* di-
 citur, quod pleraque quae *ECCLESIASTIS QUA TALIBUS* scitu
 sunt necessaria, vel certe quae ab illis coram populo tractari oportet, com-
 prehendat. Nos ut distinguatur ab *ACADEMICA, ECCLESIA-*
STICAM appellabimus. Et *ILLA* quidem omnia *HUJUS* inclu-
 dit & continet. Etsi non tantum ea, sed plura alia. *HÆC* vero pra-
 cipua quoque *ILLIUS* non tamen omnia complectitur.

E 3

Hæc

(y) l. c. p. 3. seqq. [z] Appar. Theol. p. 171. (a) in
 Theol. sua dogmat. c. 1. §. X, p. 8. [b] l. c. p. 171.

Hæc sunt, *Antagonista*, quibus *Dissertationem* meam *Moralem* ab tuis cavillis falsisque accusationibus, ea qua fieri potuit modestia, vindicare, meamque sententiam paulo fufius B. L. exponere volui. Quem, antequam Tuæ opellæ valedicam, commonendum adhuc duco, Te solummodo duas *Dissert. mea moralis* posit. XIII. & XIV. non vero TOTAM *Dissertationem*, quæ constat 3. cap. & 92. *Posit.* aggressum fuisse, quod tamen in *Præfamine* Tuo facturum satis arroganter promittis, & fecisse in §. *Diff. Tuæ ult.* falso gloriaris.

Quod si tamen, *Amice Dilectæ*, reliquæ quoque *Dissertationis* meæ positiones sint sudes in Tuis oculis, Tibique, contra Juvenem, quem credidisti artis *Disputatricis* admodum expertem, posthæc insurgere, Tuo pariter ac B. L. otio abuti, meosque circulos turbare visum fuerit: Spondeo, me ad legitimam causæ meæ defensionem, paratissimum, & sufficienter, si Deus vitam vitæque usuram clementissime indulserit, ad singulare respondurum. Ante omnia tamen abs Te efflagito, ne in montibus pisces, in fluctibus apros venari pergas: Sed omnium primo *questionis & controversiæ statum*, quod decet genuinum *Disputatorem* rite efformes. Quo factò, in quæstionibus circa fidem, qualis erat hæctenus inter nos controversa, me præbebo facilem. Non enim in animo habeo, quod publice restor, ita præconceptis adhærere opinionibus, ut ab illis me divelli non patiar, si monstretur veritas, quin potius, a prioribus recedere, si veriora me doceat dies superveniens.

Verum enim vero, hariolor, & forte non abs omniratione, cum nemini mortalium melius quam mihi ex diuturna nostra conversatione constet, de
Tuis

Tuis Studiis, conatibus, consiliis, actionibus, moribus, idque
 genus aliis, fore, ut brevi, novum impotentis animi fæ-
 tum, CONVITIA, edas, manifestæque Veritati
 importuno velut impetu obicem ponens, nugarum
 vel calumniarum nimbis me obruere potius, quam ra-
 tionum ponderibus certare velis. Sed ignoscas quæ-
 so. Hæc prævisa tela, licet noceant, me tamen ut ter-
 reant, tantum abest, ut efficiant potius, me posthæc
 audentiozem iturum. Non quidem quod convitia
 pro convitiis, maledicta pro maledictis, quibus etiam
 hac in epistola *studiose* abstinui, rependere sit animus.
 Hoc tamen acturus, ut *Veritatis* præsidio *Testiumq;* fide
 præmunitus, IN SCENAM TE PRODUCAM, &
patriæ non solum; Sed & *universo Orbi* NUDUM ve-
 luti CONSPICIENDUM EXHIBEAM. Quare,
 quicquid agis, prudenter agas, Tuæque ipsius famæ
 parcas. Cæterum, meliorem Tibi precatus mentem,
 valere Te, ex animo cupio.

Dabam JENÆ, e Museo
 Iphis Idibus Sept. c19 1766,

M. THOM. FORSTMANN.

Tunc studio, conatibus, consilio, assiduo, moribus, ad
generis a se fore, in brevi, novum impotentis animi sa-
tum, GONVITIA, edas, mansuetasque Veritati
importato velut in opem potens, pugnant
vel calumnias, nimis me conuertitur, quam sa-
tionum ponderibus ceptas velis. Sed si hoc as pos-
so. Hec praevalis tela, licet nocent, metantem ut ter-
tant, tantum abest, ut efficiant potius, ita post hac
sudentem fuerunt. Non quidem quod conuictis
pro conuictis, nisi edictis pro maledictis, quibusdam
hac in epistola, hancque apertam, rependite in animis.
Hoc tamen agitur, ut veritas praesidio, hancque, hanc
praesentibus, IN SCENAM TE PRODUCAM, &
parat non solum; Sed & hancque ORA NUDUM ve-
lum CONSPICIENDUM EXHIBEAM. Quare
quicquid agis, prudenter agas, Torque istos iuris
parcas. Ceterum, meliorem Tibi precor mentem,
valere Te, ex animo cupio.

Datum JENAE, 4. Martii
Ipsa libris separ. cit. etc.

M. THOM. FORSTMANI



io
di-
is,
en
à
u-
a-
s,
nâ
od
n-



Ji 2149

ULB Halle 3
002 410 087




Sb.

V. 18

VOA







B.I.G.

Farbkarte #13

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

FUGA
RSTMANNI
TPHALI,

OLA ETICA,

nse Wittebergæ

ue notitiam, e multis
lare,

Qui regias HEBR
DEAM & SYRA
& P. S. LII.

t Modestia exemplum,
es, non, qui mos nuper
pit, CONVITIIS,
TENTIS ANIMI.

ma M. DCC.

31
31

